

The Electronic *Compendium moralium notabilium* Project  
(<http://web.wlu.ca/history/cnighman/CMN/index.html>)

*Compendium moralium notabilium* (from *Epytoma sapientie*, Venice, 1505)

Pars 4, Liber 2: De diuitiis et paupertate et pertinentibus ad eas

De diuitiarum proficuo et nocumento paupertatis: Rubrica 1

Psalmista psalmo 36. Beatus qui tenebit.

Salomon in prouerbiis capitulo 10. Substantia diuitis vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum egestas eorum. 13. capitulo. Redemptio anime viri diuitie sue. 14. capitulo. Etiam proximo suo pauperum odiosus erit: amici vero diuitum multi. 18. capitulo. Substantia diuitis vrbs roboris eius et quasi murus validus circundans eum. Cum obsecratione loquitur pauper: et diues effabatur rigide. 19. capitulo. Diuitie addunt amicos plurimos: a paupere autem et hi quos habuerit separantur. Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo. 22. capitulo. Diues pauperibus imperat. Idem in ecclesiastice capitulo 7. Sicut protegit sapientia: sic protegit pecunia. 10. capitulo. Pecunie obediunt omnia.

Socrates in exhortationibus capitulo 2. Honora presentem substantiam propter duo: tum vt magnum malum prohibeas: tum vt amico studioso erumnato suffrageris. Quo ad reliquum vero victum haut in excessu: sed mediocriter eam dilige.

Aristoteles topicorum libro 3. Philosophari melius est quam ditari. Sed non magis eligendum indigenti necessariis. Idem ethicorum libro 8. capitulo i. Diuitie sunt vttilium. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 16. Unum aliquid necessarium est substantia. 17. capitulo. Sapientis est videre ad ianuas diuitum frequentatas. 26. capitulo et finali. Omnis indigentia mala est. Idem politicorum libro i. capitulo 2. Res possessa organum est ad vitam. Libro 2. capitulo 2. Amant quidem omnes pecunias. 3. capitulo. Penuria seditionem efficit et malignitatem. 4. capitulo. Confert multitudo substantie. 6. capitulo. Principari quidem non facile valde pauperibus. Libro 3. capitulo 7. Rationabiliter preparantur honori: nobiles et diuites.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 8. Non contendas cum viro locuplete ne forte econtra consistat litem tibi: multos enim perdidit aurum et argentum: et vsque cor regum extendit et conuertit. 13. capitulo. Pascua diuitum sunt pauperes. Diues commotus confirmatur ab amicis: humilis autem cum ceciderit expelletur et a notis. Diuiti decepto multi recuperatores: locutus est superbe et iustificauerunt illum. Humilis deceptus est: insuper et arguitur: locutus est sensate: et non est ei datus locus. 27. capitulo. Propter inopiam multi deliquerunt. 40. capitulo. Facultates et conuictus exaltant cor. In tempore vite tue ne indigeas: melius est enim mori quam indigere.

Terentius in phormione. Quam inique comparatum est: hi qui minus habent vt semper aliquid addant diuitioribus.

Commented [CN1]: fol.89va

Salustius in catilinario. Semper in ciuitate quibus opes nulle sunt bonis inuident malos extollunt vetera odere: noua exoptant odio suarum rerum mutari omnia student.

Oratius in epistolis libro i. epistola i. O ciues ciues querenda pecunia primum est / Uirtus post numos. Epistola 6. Et genus et formam regina pecunia donat / Et bene numatum decorat suadela uenisque. Epistola 19. Stultitiam patiuntur opes. Idem in sermonibus libro 2. sermone 3. Omnis enim res. / Uirtus fama decus diuina humanae pulchris: / Diuitiis parent: quas qui construxerit ille / Clarus erit fortis iustus sapiensue: etiam et rex. Sermone 5. Et genus et uirtus nisi cum re vilior alga est.

Tullius rethoricorum artis noue libro 6. et finali. Due res sunt que possunt homines ad turpem competentium commouere: inopia atque auaritia.

Ouidius sine titulo seu amorum libro 3 et finali capitulo 8. Curia pauperibus clausa est: dat census honores. / Inde grauis iudex: inde seuerus eques. Idem de arte amandi libro 2. Pauper ametur caute: timeat maledicere pauper. / Multaque diuitibus non patienda ferat / Dummodo sit diues barbarus ille placet. / Aurea sunt uere nec secula plurimus auro. / Uenit honos: auro conciliatur amor. / Ipse licet uenias musis comitatur homere / Si nihil attuleris ibis homere foras. Idem de tristibus libro i. epistola 5. Horrea formice tendunt ad inania nunquam / Nullus ad amissas ibit amicus opes. / Utque comes radios per solis euntibus umbra est / Cum latet hic pressus nubibus illa fugit / Mobile sic sequitur fortune lumina uulgus. Idem de fastis libro i. In precio precium nunc est: dat census honores / Census amicitia: pauper ubique iacet.

Commented [CN2]: fol.89vb

Mattheus in euangelio capitulo 26. Habenti dabitur et abundabit: ei autem qui non habet et quod putat se habere auferetur ab eo.

Lucas in euangelio capitulo 8. Qui habet dabitur illi et quicumque non habet etiam quod putat se habere auferetur ab eo.

Seneca de remediis fortuitorum capitulo 21. et finali. Patrimonio iam ipsa nobilitas primo loco cessit.

Iuuenalis libro i. satyra 3. Nil habet infelix paupertas durius in se: / Quam quod ridiculos homines facit. / Libertas pauperis hec est: / Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat / Ut liceat paucis cum dentibus inde reuerti.

Martialis cocus epigrammaton libro 5. Colit ingratas pauper amicitias. / Dantur opes nullis nunc nisi diuitibus. Idem libro uindique suscepto capitulo 3. Sit pauper probus et sapiens omnino negatur. / Sit diues recte protinus annuitur.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 21. Hoc malum iam dudum humanis influxit mentibus ut pecunia honori sit: et animi hominum diuitiarum admiratione capiantur. 26. capitulo. Ita incubuerunt mentes hominum admiratione diuitiarum: ut nemo nisi diues honore dignus putetur.

Boetius de disciplina scholarium libro 3. Nouerca est discipline egestas.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 18. Indigentiam nostram iuste fugimus que suadet excessus. Pernitiosa res est in imperatore tenuitas. Libro 7. epistola 18. Idonei damna uix

Commented [CN3]: fol.90ra

sentiunt: tenues autem leui dispendio vulnerantur: quando vel mediocri iniuria totum videtur amittere: qui exiguum noscitur possidere.

Isidorus in synonyma solliloquiorum libro i. capitulo i. Ubique pecunia vincit. Omnes mendicitatem spernunt.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 2. Dummodo sit diues cuiusdam nata bubulci / Eligit ex mille quemlibet illa virum.

Mattheus vindocinensis in poetria particula i. capitulo 19. Aurum roma sitit: dantes amat: absque datiuo: / Accusatiuo roma fauere negat.

Andreas ad frugalitatem de amore libro 3. Qui plurimis consuevit abundare diuitiis multisue carnis et mundi gaudiis delectari: si ad inopie post modum tenebras ellabatur totus sibi mundus factus videtur obscurus: nullumque veretur committere crimen: vt fortunam diuitiarum recuperare possit amissam.

Iacobus beneuentanus capitulo 16. Diues honoratur cunctis et diues amatur. Delitias sequitur delitiosus amor.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 4. Denarius bonus est socius quicquid petis illi / Dat tibi: denario cuncta parare potes.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 27. et finali. Bella mouent numus eadem sedare videtur / Qui sunt discordes vnanimisque facit. / Regibus et ducibus generaliter omnibus ipse / Imperat atque preest et dominatur eis. / Si careat numis sapiens quasi nullus habetur / Et fauius sapiens diues habetur homo / Numus amicitias iungit dat munus honores / Uix sine denariis nullus habetur honor / Numus honorari cunctos facit atque timeri / Diues honoratur: nullus habetur inops. / Rex regum numus dominus manet: et dominatum / Omnes inclinant et famulantur ei. / **Destruit** edificat numus: facit omnia qua vult. / Ius et iustitiam cum ratione necat.

Commented [CN4]: fol.90rb

Belinus in speculo vite particula i. extra. 3. Expertus noui: quia multos numus honorat. / Et sine denariis nil reputatur homo.

Prouerbia metrica extraordinem libro vagantia. Numus honoratur sine numo nullus amatur. / Numus emit villas: struit et destruit illas. / Presulis albini seu martyris ossa ruffini / Rome si quis habet vertere cuncta valet.

Prouerbia vulgaria. Auer fa star tegnosu al balcon. / Chi non ha del so musar ge po / La pouerta fa lhomo boxaro. / Quella gallina canta che se sente ouo / Chino ha soi boi no ara quando eluole / Massara plena tosto fa cena.

#### De paupertatis proficuo et molestia ac illaudatione diuitiarum: Rubrica 2

Salomon in prouerbiis 19. capitulo. Homo indigens misericors est.

Plato in phedrone. Propter pecuniarum possessionem vniuersa prelia nobis fiunt.

Socrates in exhortationibus capitulo i. Opes vitii magis quam honestatis famule sunt. Potestates quidem accidie patentes: accientes ad illecebras iuuenes.

Aristoteles ethicorum libro i. capitulo 2. Pecuniosus violentus quis est: et diuitie non sunt quod queritur bonum: viles enim sunt et alterius gratia. Idem topicorum libro 3. Nullus honorat diuitias per se: sed propter aliud.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 11. Si diues fueris non eris immunis a delicto.

Salustius in catilinario. Imperii et diuitiarum causa bella atque certamina omnia inter mortales sunt. Idem in iugurtino. In omni certamine qui opulentior est etiam si accipit iniuriam: tamen quia plus potest facere videtur.

Virgilius in georgicis. Labor omnia vincit / Improbis et duris vrgens in rebus egestas.

Oratius epistolarum libro 2. epistola 3. et finali. Quanto plura parasti / Tanto plura cupis.

Commented [CN5]: fol.90va

Tullius de oratore libro 2. In summa vbertate inest luxuries.

Ouidius epistolarum 15. epistola. Certamen premia magna mouent. Epistola 16. Tarda solet rebus magnis inesse fides. Idem methamorphosis libro i. Effodiunt opes irritamenta malorum.

Seneca tragediarum in hercule theteo capitulo 6. O si pateant pectora ditum. / Quantos intus sublimis agit / Fortuna metus. / Pectora pauper secunda gerit. / Nec sibi pauper felix habetur: / Nisi felices cecidisse videret. Idem epistolarum ad lucillum libro 3. epistola 3. Si vis vacare animo: vt pauper sis oportet aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sine fragilitatis cura: fragilitas autem paupertas voluntaria est. 4. epistola. Nemo alius est deo dignus quam qui opes contempsit: quarum possessionem tibi non interdico: sed efficere volo vt illas intrepide possideas: quod vno consequeris modo si te etiam sine illis beate victurum persuaseris tibi: si illas tanquam exituras semper aspexeris. 6. capitulo. Multum est non corrumpi diuitiarum contubernio. Libro 12. epistola 2. et finali. Diuitie inflant animos: superbiam pariunt: inuidiam contrahunt. Diuitie insolentiam dant: nihil est aliud insolentia quam spes false magnitudinis. Idem de remedio fortuitorum capitulo 13. Diuitem multi comitantur: mel musce sequuntur: cadauera lupi: frumenta formice: predam sequuntur ista turba non hominem. Idem de paupertate: Ad hoc vnum est amanda paupertas quod a quibus ameris ostendat.

Lucanus libro 3. Certamen mouistis opes: / Paucis ad exhauste spoliis non cogit egestas. Libro 4. O prodiga rerum / Luxuries: nunquam paruo contenta paratu. / Et quesitorum pelago terraque ciborum / Ambitiosa fames: et laute gloria mense / Discite quod paruo liceat producere vitam. / Et quantum natura petat. / Perdita tunc vrbi nocuerunt secula postquam / Ambitus et luxus et opum metuenda facultas / Transuerso mentem dubiam torrentem tulerunt. Libro 5. O vite tuta facultas / Pauperis. Libro 8. Dominis mundi securius eum / Uerus pauper agit.

Commented [CN6]: fol.90vb

Iuuenalis libro 2. satyra vnica. Prima peregrinos obscena pecunia mores / Intulit: et turpi fregerunt tempora luxu. / Diuitie molles. Intolerabilius nihil est: quam femina diues. Libro 4. satyra i. Cantabit vacuus coram latrone viator. Libro 5. et finali satyra 2. Misera est magni custodia census.

Marcialis cocus epigrammaton libro 11. Ardua res hoc est opibus nunc tradere mores.

Ualerius maximus libro 4. titulo de studio et industria: Democritus cum diuitiis censi posset: que tante fuerunt vt pater eius xerxis exercitui epulum dare ex facili potuerit: quo magis vacuo animo studiis litterarum esset occupatus parua admodum summa retenta patrimonium suum patrie donauit.

Prosper sub 82. emp. Instant terrenis infesta pericula rebus / Feruent pro dampnis prelia perque lucris / Et nihil est inter carnalia vota quietum. / Nec pax sollicitis: nec modus est cupidis.

Fulgentius libro 2. fabula 3. Diuitie semper pregnantes sunt: et nonnunquam abortiunt.

Cato capitulo 3. Quod nimium est fugito paruo gaudere memento. Tuta mage pupis est modico que flumine fertur. Capitulo 5. et finali. Despice diuitias animo si vis esse beatus. / Commoda nature nullo tibi tempore deerunt / Si contentus eo fueris quod postulat vsus.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 9. Paucis minimisque natura contenta est. Cuius sacietatem si superfluis vrgere velis aut iniocundum quod infuderis fiet aut noxium. Uerum illud est permultis eos indigere qui permulta possident. Contraque eos minimo indigere qui abundantiam suam nature necessitatem non ambitus superfluitate metiantur. Diuitie possidentibus persepe nocuerunt.

Commented [CN7]: fol.91ra

Cassiodorus de amicitia capitulo 16. In diuitiis fides amicitie latet. 17. capitulo. Solidiores inueniuntur plerunque pauperum amicitie quam magnatum. Tanto purior est erga pauperem charitatis affectio: quanto nulla contra eum subest adulationis aut simulationis occasio. Idem epistolarum libro 9. epistola 22. Copia plerunque solet habere fastigium. Idem de charitate seu dilectione dei capitulo 4. Ubi copia diuitiarum maior: exuberat ibi se grauior molestia sollicitudinum totius perturbatiua quietis intrudit. 5. capitulo. Pecunia cum labore acquiritur: acquisita cum timore seruatur: et tandem cum dolore amittitur.

Isidorus solliloquiorum libro 2. capitulo 52. Multi propter opes periclitauerunt. Multi propter diuitias in discrimine venerunt. Multis exciabile fuerunt diuitie. Multis mortem generauerunt opes. 53. capitulo. Diuitie nunquam sine peccato acquiruntur.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus capitulo 30. Concipit ingentes animos inanis egestas. / Et facit artificem sepius hoc hominem.

Gualterius de castellione libro i. Nam si vera loquor auferre pecunia mores: / Non afferre solet. Libro 8. Quanto tibi plura parasti: / Tanto plura petis: et habendis acrius ardes.

Iohannes solobriensis anglicus in polycratone libro 10. Crates thebanus proiecto in mari non paruo auri pondere: abite inquit possime cupiditates: ego vos mergam: ne ipse mergar a vobis.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 5. Denario castella simul produntur et vrbes / Denario falli sepe puella solet. / Denario quondam qui non erat efficitur fur / Et bonus ante nimis incipit esse malus / Denario sedes maculatur pontificalis. / Cum non ex meritis: sed magis credatur.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Diues diuitias non congregat absque labore. / Non tenet absque metu: non deserit absque dolore.

Commented [CN8]: fol.91rb

### De lucro et acquisitione diuitiarum: Rubrica 3

Solomon in prouerbiis capitulo 13. Substantia festinata minuetur: que autem paulatim colligitur manu multiplicabitur. 28. capitulo. Qui festinat ditari non erit innocens. Idem in ecclesiastice capitulo 3. Tempus acquirendi et tempus perdendi.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 2 scilicet de thalete. Thales qui primi sapiens nominatus est secundum quem et septem sapientes vocati sunt interrogatus quid difficillimum: ait acquirere. 6. capitulo scilicet de biante: Bias vnus de septem sapientibus quesitus quid faciens homo letatur: lucrans ait.

Aristoteles ethicorum libro 8. capitulo 8. et finali. Indigentie auxilium est lucrum. Idem rethoricorum libro 2. capitulo 16. Senes seruiunt lucro. Idem polyticorum libro 5. capitulo 2. De quibus desident ciues sunt lucrum et honor. Libro 6. capitulo 3. Multi magis appetunt lucrum quam honorem.

Iesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Noli anxius esse in diuitiis iniustis. 25. capitulo. Que in iuuentute tua non congregasti quomodo inuenies in senectute tua?

Terentius in adelphis capitulo 5. Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.

Oratius in epistolis libro i. epistola i. O ciues ciues querenda pecunia primum est / Uirtus post nummos. Idem in sermonibus libro 2. sermone 5. Dixi equidem et dico: captes astutus vbique / Testamenta senum: neu si vafer vnus et alter: / Insidiatorem prorso fugerit hamo. / Aut spem deponas aut artem illusus omittas.

Ouidius de arte amandi libro 2. Credita non fulci semper cum fenore reddunt.

Seneca tragediarum in hercule etheo capitulo 2. Comoda cladibus / Magnis magna patent. Idem epistolarum ad lucillum libro 3. epistola 3. Representat opes sapientia. Libro 12. epistola 2. et finali. Ex multis paupertatibus diuitie fiunt.

Lucanus libro i. Paupertas fugitur: totoque accersitur orbe.

Commented [CN9]: fol.91va

Lex digestorum titulo ad legem falci l. predia. Perposterum est ante nos locupletes dici quam acquisierimus. Titulo de regulis iuris l. infrascriptis: Secundum naturam est comoda cuiusque rei eum sequi quem sequuntur incommoda. Iure ciuili equum est neminem cum alterius detrimento vel iniuria fieri locupletiore.

Cassiodorus epistolarum libro 7. epistola 9. A paucis accipit qui nimium querit.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Dat galienus opes: dat sanctio iustiniana. / Ex aliis paleas: ex istis collige grana.

#### De lucra acquisitionis honestate consideranda: Rubrica 4

Psalmista 36. psalmo. Melius est modicum iusto super diuitias peccatorum multas.

Salomon in prouerbiis capitulo 16. Melius est parum cum iusticia quam multi fructus cum iniquitate. Capitulo 17. Melior est bucella sicca cum gaudio quam domus plena victimis cum iurgio.

Isocrates in exhortationibus capitulo 2 ad finem. Amplectere magis iustam penuriam quam iniustas diuitias. Hec enim iustitia diuitiis potior. Neminem celeris lucrantem nequiter.

Aristoteles pollyticorum libro 6. capitulo 3. Multi magis appetunt lucrum quam honorem.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 5. Noli anxius esse in diuitiis iniustis. 13. capitulo. Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia. 31. capitulo. Beatus diues qui inuentus est sine macula.

Terentius in adelphis. Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum.

Tullius rethoricorum artis noue libro 6. et finali capitulo 5. Due res sunt que possiunt homines ad turpe compendium promouere: inopia: atque auaritia.

Cassiodorus epistolarum libro 5. epistola 13. Pulchrum est commodum feda neglexisse lucra pecunie. Libro 8. epistola 20. Pecunias illas volumus quibus libra iustitie suffragatur. Libro 9. epistola 3. Aurum siquidem per bella querere nephas est: per maria periculum: per falsitates opprobrium: in sua vero natura iustitia. Honesta sunt lucra per que nemo leditur. Bene queritur quod a nullis adhuc dominis abrogatur. 14. epistola. Commodum debet esse cum modo. nam si mensuram equalitatis excesserit vim sui nominis non habebit. 15. epistola. Illud tantum vere possumus lucrum dicere quod constat diuina iudicia non punire. Libro 11. epistola 8. Quid acquiri putatur vbi bona conscientia perditur: aut in qua parte possit homo perficere si innocentiam probatus fuerit amisisse. Libro 12. epistola 13. Ultra omnes crudelitates est diuitem velle fieri de exiguitate mendici. Amentur honesta lucra: horreantur damnosa compendia.

Iacobus beneuentanus capitulo 46. Est id turpe lucrum quod detestatur honestas. / Ferre solent damna crimine plena lucra.

#### De rapina et furto et quacunq; ablacione alieni: Rubrica 5

In exodo capitulo 20. Non furtum facies. 21. capitulo. Qui furatus fuerit hominem et vendiderit eum: conuictus noxe: morte moriatur. 22. capitulo. Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus et accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. quod si orto fecit sole. hoc homicidium perpetratum: et ipse morietur.

Moyes in deuteronomio capitulo 19. Non assumes nec transferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in possessione tua. 23. capitulo. Ingressus vineam proximi tui comede vvas quantum tibi placuerit. foris autem ne efferas tecum. 24. capitulo. Si intraueris segetem amici tui:

Commented [CN10]: fol.91vb

frange spicas et manu conteras: falce autem non metas. 27. capitulo. Maledictus qui transfert proximi sui terminos.

Psalmista psalmo 61. Rapinas nolite concupiscere.

Salomon in prouerbiis. Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui.

Isaias propheta capitulo 33. Ue qui predaris nonne et ipse predaberis?

Commented [CN11]: fol.92ra

Abacuch propheta capitulo 2. Ue ei qui multiplicat non sua. Ue ei qui congregat auaritiam malam domui sue.

Ouidius sine titulo seu amorum libro i. capitulo 10. Non habet euentus sordida preda bonos.

Lucas in euangelio capitulo 3. Neminem concutiatis: neque calumniam facietis: et contenti esto te stipendiis vestris.

Seneca epistolarum ad lucillum libro 14. epistola 2. Nulli cui rapina feliciter cessit: gaudium rapti durauit in posterum.

Lex codis titulo finium regum 1. si constiterit. Unusquisque contentus suo: rem non expectat iuris alieni.

Fulgentius libro i. fabula 9. Omnis rapina arida est et sterilis. Omnis rapina ad euolandum est celerrima.

Cato epistola i. Alienum noli concupiscere.

Cassiodorus epistolarum libro 12. et finali epistola 11. Piaculum est talibus rapere qui nesciunt aliena fraudare.

Uersificator fabularum esopi 47. fabula. Uiuere de rapto vitam rapit inuidus instans / Alterius damnis in sua damna redit.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 27. et finali. Stare diu neque vt que mala parata vides.

Prouerbia vulgaria. Caz per fama fa forame / Massara dura fa fameia fura.

#### De rebus propriis communibus et alienis: Rubrica 6

Cronica de nugis philosophorum capitulo 6. scilicet de biante. Bias vnus de septem sapientibus: quesitus quid dulce mortalibus: ait proprium.

Aristoteles pollyticorum libro i. capitulo 8. Prauum vtique videbitur esse plures principatum eundem principari. Libro 2. capitulo. i. Minime cura sortitur quod plurimorum commune est: de propriis maxime curant omnes: de communibus autem minus. Duo sunt que maxime faciunt sollicite curare homines et diligere: proprium et dilectum. 2. capitulo. Cure diuise litigia adinuicem non faciunt. Communicantes multo magis dissidentes videmus quam separatim

Commented [CN12]: fol.92rb

substantias habentes. Idem yconomicorum libro i. circa finem. Nemo curat similiter aliena et propria. Quidam interrogatus quid magis rus impinguat: oculus domini inquit. Libius interrogatus quale stercus optimum vestigia domini ait. Idem rethoricorum libro 3. et finali capitulo 14. Conspicabile magis est quod proprium est negotium eo quod alienum.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 33. Non dederis aliis possessiones tuas: ne forte peniteat te et deprecetis pro illis. Dum adhuc superes et aspiras non immutabit te omnis caro: melius est enim vt filii tui te rogent quam te respicere in manus filiorum tuorum.

Tullius de officiis libro i. capitulo 13. Difficilis est cura rerum alienarum.

Ouidius de arte amandi libro 3. et finali. Non bene cum sociis regna venusque manent.

Lucanus libro i. Nulla fides regni sociis omnisque potestas / Impatiens consortis erit.

Plinius de naturali hystoria libro 12. capitulo 19. Mortalibus suarum rerum sacietas est: alienarumque auiditas.

Lex digestorum titulo de seruitutibus vrbanoꝝ predioꝝ. l. in re communi. Propter immensas contentiones plerunque res ad diuisionem peruenit. Titulo de legatis. ii. l. cum pater § dulcissimis. Communio solet excitare discordias. Titulo si a parente quis manumissus sit. l. ii. Iniquum est ingenuis hominibus non esse liberam rerum suarum alienationem. Ex codicis titulo de iudeis l. nemo. Iustum est sua cuique committere. Titulo mandati l. in re mandata. Sue quisque rei moderator atque arbiter est. Titulo de contrahenda emptione et venditione l. dudum. Grauis videtur iniuria vt homines de rebus suis facere aliquid cogantur inuiti. Libro 10. titulo quando et quibus debetur quarta pars etc. l. ii. Naturale vicium est negligi quod communiter possidetur.

Paladius de agricultura capitulo 6. Presentia domini profectus est agri.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 21. Unicuique patria sua carior est.

Uersificator fabularum esopi 56. fabula. Res tua te reperit argum: res altera cecum.

Ricardus iudex venusinus libro de pertractatione nuptiis capitulo 28. Insiapiens aliena colit propriumque relinquit. Plus alios quam se quis nisi stultus amat: Quam nostrum melius dicitur esse meum.

Commented [CN13]: fol.92va

Prouerbia vulgaria. Ele meio me cha nostro. / Meio e cum altru partir cha sol perdere / Molino de consorte va liga con strope.

#### De conseruatione diuitiarum: Rubrica 7

Salomon in ecclesiastice capitulo 3. Tempus custodiendi: et tempus abiiciendi.

Tullius rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 21. Diligentia est accurata conseruatio suorum.

Ouidius de arte amandi libro 2. Nec minor est virtus quam querere parata tueri. / Casus inest illic: hic artis opus erit.

Cato capitulo i. Rem tuam custodi.

Cassiodorus epistolarum libro i. epistola 24. Maior in conseruandis rebus quam in inueniendis adhibenda cautela est: quia de initiis predicatio debetur inuentio: de custoditis acquiritur laudata perfectio. 43. epistola. Que studiosius diligimus maiori gratia custodimus. Libro 11. epistola i. Cito expenduntur horrea que assidua non fuerint adiectione fulcita. Thesaurus ipse quam facile profunditur si nullis iterum pecuniis compleatur.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 7. Res leuis est querere: sed retinere labor.

Bertrandus yconomica capitulo 17. Melius est grauem pati famem quam patrimonii venditionem. 26. capitulo. Si nobiles sunt fratres. melior est sepe eorum per mundum dispersio quam hereditatis diuisio. nam sepe est eorum grauis dissolutio huiusmodi hereditatis diuisio.

Iacobus beneuentanus capitulo 52. Rem bene custodi: quod habes dispergere noli. / Ne dispergaris et velut exuleas / Laus est magna viro sua si conseruat et auget. / Opprobrium contra si male tractet ea.

#### De credito et debito maxime vsurariorum: Rubrica 8

Salomon in prouerbiis capitulo 2. Qui accipit mutuuum seruus est fenerantis.

Commented [CN14]: fol.92vb

Lex autentici titulo de heredibus et falcidia §. illo adiecto. Debitor creditorem veretur et metuit.

Bertrandus yconomica capitulo 18. Melius est partem patrimonii vendere quam te vsuris subiacere. Quid est vsura? venenum patrimonii.

Prouerbia vulgaria. Mal compra chiesura chi tol dinari ausura.

#### De damno et amissione diuitiarum: Rubrica 9

Salomon in prouerbiis capitulo 2. Qui diligit epulas in egestate erit: qui amat vinum et pingua non ditabitur. Qui diligit damnum propter amicum iniustus est. Idem in ecclesiastice capitulo 3. Tempus acquirendi tempus perdendi: tempus custodiendi et tempus abiiciendi.

Aristoteles ethicorum libro 4. capitulo i. Uelociter derelinquit substantia dantes idiotas qui videntur prodigi esse. Idem polyticorum libro 5. capitulo 6. Substantias consumunt praue expense sepe facte.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 19. Operarius ebriosus non locupletabitur. Qui negligit modica paulatim decedit. 21. capitulo. Obiurgatio et iniurie annullabunt substantiam. 29. capitulo. Perde pecuniam propter fratrem et amicum. 40. capitulo. Substantie iniustorum sicut fluuius siccabuntur.

Terentius in adelphis capitulo 5. Pecuniam in loco negligere maximum interdum est lucrum. / Potius quam venias in periculum samo: / serues ne autem perdas totum diuiduum facere.

Tullius phylipicorum libro 2. Male parata male dilabuntur.

Seneca de tranquillitate animi. Tolerabilius est non acquirere quam amittere. Idem tragediarum in hercule etheo capitulo 2. Comoda cladibus / Magna magna patent.

Lucanus libro 3. Dampna mouent populos si quos sua iura tuentur.

Lex digestorum titulo ad legem acquilis l. qui occidit §. penultimo. Qui occasionem damni prestat damnum fecisse videtur. Titulo commodati l. ad eos. Qua cura vel diligentia consequi possumus ne ab aliquo nobis iniuria detur. Titulo de adimendis et transferendis legatis l. pater: Non videtur absumptum quod in corpus patrimonii versum est.

Commented [CN15]: fol.93ra

Prosper sub 88. emp. Omne bonum mundo concretum et tempore partum. / Quacunq̄ue amitti conditione potest / Et quamuis damnis vigilanter cura resistat / Sepe tamen propriis dispoliatur homo.

Cato capitulo 2. Cum labor est in damno mortalis crescit egestas.

Cassiodorus epistolarum libro 2. epistola 2. Solet facile labi quod sine difficultatibus potuit inueniri. Libro 4. epistola 30. Facilis est edificiorum ruina incolarum subtracta custodia: et cito vetustatis decoctione resoluitur quod hominum presentia non tuetur.

Andreas ad gualterium de amore libro i. Grauius est carere quesitis quam sperato lucro priuari. Libro 3. Qui plurimis consueuit abundare diuitiis: multisve carnis et mundi gaudiis delectari: si ad inopie postmodum tenebras elabatur: totus sibi mundus factus videtur obscurus: nullumque veretur committere crimen: vt fortunam diuitiarum recuperare possit amissam.

Iacobus beneuentanus capitulo 7. Qui sequitur bachum taxillos et meretrices: / Infamis semper: semper egenus erit. Capitulo 34. Raro donato: celebra conuiuia raro. / Ex his paupertas sepe venire solet.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Quas multi multo conquirunt tempore patres / Stultus eas modico dissipat vnus opes.

#### De laudis fortuite amissionis bonorum: Rubrica 10

Ouidius de arte amandi libro 3. scilicet taxilorum. Sed minimus labor est sapienter iactibus vt. / Maius opus mores composuisse suos / Tunc sumus incauti studioque operimur in ipso / Nudique prolusus pectora nostra patent / Ita subit: deforme malum: lucrique cupido / Iurgia et rixe. sollicitusque dolor / Crimina dominatur: resonat clamoribus ether / Inuocat irratos quod sibi quisque deos. / Nulla fides tabule que non per vota petuntur. / Et lachrymis vidi sepe madere genas.

Commented [CN16]: fol.93rb

Cato capitulo i. Fuge aleam.

Iacobus beneuentanus capitulo 7. Qui sequitur bachum taxillos et meretrices / Infamis semper: semper egenus erit. Capitulo 51. Sic taxillorum ludum vitare memento. / Nullam iacturam ferre quod inde queas. / Ludum quemque fuge per que tua perdere possis.

De tranquillitate et inquietudine animi circa diuitias et paupertatem: Rubrica 11

Aristoteles polyticorum libro i. capitulo 4. Malitia hominum irreplebilis est.

Tullius rethoricorum artis noue libro 5. capitulo 10. Egens eque est qui non satis habet et is cui satis nihil potest esse. Idem paradoxorum distinctione 6. Animus hominis diues non archa appellari solet.

Ouidius de luco. Diues hic est vere qui plus nil optat habere: / Quam natura dedit bona qualiacunque fuere. / Regnum papates vrbes castella ducatus / Nec tua sunt vere nec tecum nata fuere.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo 2. Non qui parum habet: sed qui plus cupit pauper est. 3. epistola. Magne diuitie sunt lege nature composita paupertas. Parabile est quod natura desiderat. Ad manum est quod satis est. Libro 3. epistola 2. Si ad naturam viues nunquam eris pauper. Si ad opiniones nunquam eris diues. exiguum natura desiderat: opinio immensum. Qui cum paupertate bene conuenit diues est. Exerceamur ad paululum: et ne imparatos fortuna deprehendat: fiat vobis paupertas familiaris. Securius diuites erimus si **sciuerimus** quam non sit graues pauperes esse. 7. epistola et finali. Si vis diues fieri: non pecunie adiiciendum: cupiditatibus detrahendum est. Libro 4. epistola 6. Diuitie sunt ad legem nature composita paupertas. Libro 20. et finali epistola 2. Qui se ad id quod exigit natura composuit: non tantum extra sensum paupertatis est: sed extra metum. Qui multum habet plus cupit. Neminem pecunia diuitem facit: Immo etiam nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. 6. epistola. Paupertas nulli mala est nisi repugnanti.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 6. Si paupertati assensum prebere studebis / Si per naturam viuere diues eris.

Cato capitulo 4. Rebus et incensu si non est quod fuit ante: / Fac viuas contentus eo quod tempora prebent. Capitulo 5. et finali. Cum fortuna tuarum rerum tibi displicet vni / Alterius specta quo sit discrimine peior.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 4. Nunquam diues agit qui trepidus gemens sese credit egentem.

Uersificator fabularum esopi fabula 12. Pauperies si leta venit ditissima res est.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 10. et finali. Non cupiat quisquam quod nunquam possit habere / Quod fortuna dedit sufficienter amet.

Gualterius de castellione libro 8. Contentum esse suis alienum nolle beatum / Efficiunt. igitur si quid quesieris vltra / Excedunt tua vota modum finemque beati.

Commented [CN17]: fol.93va

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 3. Pauperiem consulta tegat patientia: pauper / Succincta studeas sobrietate frui. / Non defectus opum: sed desperatio confert / Pauperiem mentis deficiente statu / Non rerum cumulus: sed sufficientia mentis / Dictat sufficiant paucula: diues eris.

#### De exemptis acceptate paupertatis illustrium virorum: Rubrica 12

Frontinus libro 4. titulo. 3. Aulus regulus cum summis rebus profuisset adeo pauper fuit vt se coniugem liberosque toleraret agello qui collebatur per **vnum** vilicum. Gneus scipio post tres prospere gestas in hispania in summa paupertate decessit. Ne ea quidem relicta pecunia que sufficeret in dotem feminarum: quas ob inopiam publice dotaui senatus. Curius cum victis ab eo sabinis ex senatus consulto ampliaretur modus agri quem consummati milites accipiebant gregalium portione contentus fuit: malum ciuem dicens cui non esset id quod ceteris satis. Laminius qui corintho capta non Italiam solum sed etiam prouinciam tabulis statusque exornauit adeo nihil extantis manibus in suum conuertit vt filiam eius inopem senatus ex publico dotaerit.

Commented [CN18]: fol.93vb

#### De modo diuitiarum capiendarum et habendarum: Rubrica 13

Salomon in prouerbiis capitulo 30. Ait salomon domino. Mendicitatem et diuitias ne des mihi: tribue tantum victui meo necessaria: ne forte saturatus illiciar ad negandum: et dicam quis est dominus et egestate compulsus furer: et periurem nomen dei mei.

Aristoteles ethicorum libro 10. et finali capitulo 7. Contingit moderata possidentes agere que oportet. Idem pollyticorum libro 4. capitulo 9. Bene fortuitorum est possessio que media omnium. facillima enim ratio obedire. Eu fortunium maximum est politicantes substantiam habere mediam.

Oratius in epistolis libro i. epistola 12. Pauper enim non est cui rerum suppetit vsus. / Si ventri bene si latius est: pedibusque tuis: nil / Diuitie poterunt regales addere maius.

Seneca de tranquillitate animi. Optimus pecunie modus est qui nec in paupertatem cadit nec procul a paupertate recedit.

Cato capitulo 3. Quod nimium est fugito paruo gaudere memento. / Tuta mage pupis est modico que flumine fertur.

Prosper sub vltimo capitulo. Contentus modicis vitet sublimis haberi.

#### De auaritia cupiditate pecunie: Rubrica 14

**In** exodo capitulo 20. Non concupisces domum proximi tui: nec desideres vxorem eius: non seruum non ancillam non ouem nec bouem: non asinum: nec omnia que illius sunt.

Commented [CN19]: fol.94ra

In leuitico capitulo 19. Cum messueris segetes terre tue non tondebis vsque ad solum superficiem terre: nec remanentes spicas colliges: neque in vinea tua racemos et grana decidentia congregabis: sed pauperibus et peregrinis carpenda dimittes.

Salomon in prouerbiis capitulo 15. Conturbat domum suam qui sectatur auaritiam. Idem in ecclesiastice capitulo 15. Auarus non implebitur pecunia et qui amat diuitias fructus non capiet ex eis.

Abacuch propheta capitulo 2. Ue qui congregat auaritiam malam domui sue.

Cronica de nugis philosophorum capitulo 24. scilicet de bione. Bio ad pusilanimem diuitem ait: Non hic possidet opes: sed opes eum.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 19. Accidit pauperibus propter indigentiam concupiscere pecunias: diuitibus autem propter potestatem concupiscere nisi necessarias delectationes. Libro 2. capitulo 16. Iuuenes minime sunt amatores pecuniarum propterea quod nondum indigentiam experti sunt. Idem pollyticorum libro 2. capitulo 4. Malitia hominum irreplebilis est. Idem ethicorum libro 4. capitulo i. Pecunias dicimus omnia quorumcunque dignitas numismate mensuratur. Prodigus multum videtur melior esse illiberali: quoniam hic quidem prodest multis: hic autem nulli: sed nec in seipsum. Illiberalitas insanabilis est. Uidetur senectus et omnis impotentia illiberales facere: magis connaturalis est hominibus prodigalitate. multi enim amatores pecuniarum magis quam datores. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 42. Illiberalis est: qui non consumit in que oportet: et quecunque oportet et quando oportet.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 10. Nihil est iniquius quam amare pecuniam. Hic enim animam suam venalem habet. 18. capitulo. **Uiro** cupido et tenaci sine ratione est substantia. Qui aceruat ex animo suo iniuste aliis congregat: et in bonis illius alius luxuriabitur. Qui sibi nequam est cui alii bonus erit: et non iocundabitur in bonis suis.

Commented [CN20]: fol.94rb

Terentius in adelphis capitulo 26. Uicium commune omnium est quod nimium ad rem in senecta attenti sumus.

Salustius in catilinario. Auaritia fidem probitatem ceterasque bonas artes subuertit. pro his superbiam crudelitatem deos negligere omnia venalia habere docuit. Auaricia semper infinita insaciabilis est: neque copia: neque inopia minuitur.

Uirgilius eneide libro 3. in principio. Quid non mortalia pectora cogis / Auri sacra fames.

Oratius in epistolis libro i. epistola i. Feruet auaritia miseraque cupidine pectus. / Sunt verba et voces quibus hunc lenire dolorem / Possis: et morbi magnam deponere potestatem. Epistola 2. Quod est cui contingit nil amplius optet. / Semper auarus eget: certum voto pete finem. Epistola 5. Parcus ob heredis curam nimiumque seuerus / Assidet insano. Epistola 10. Imperat aut seruit collecta pecunia cuique. Libro 2. epistola 3. et finali. Quanto plura parasti: / Tanto plura cupis.

Tullius de oratore libro 2. Auaritiam si tollere vultis mater est tollenda luxuries. Idem rethoricorum artis noue libro 2. capitulo 6. Auaritia hominem ad quoduis maleficium impellit. Libro 5. capitulo 21. Auaritia est iniuriosa appetitio alienorum. Libro 6. et finali capitulo 5. Due

res que possunt homines ad turpem compendium commouere: inopia atque auaritia. Idem paradoxorum prima distinctione. Neque expletur vnquam nec saciatur cupiditas sitis.

Ouidius fastorum libro i. Tempore creuit amor qui nunc est summus habendi. Uix vltra quo iam progrediatur habet. Idem de ponto libro 4. et finali epistola 15. et penultima. Res moderata cupido est.

Quintillianus declamationum 14. declamazione. Omnia facinora nisi fallor causas vel de cupiditate vel de simulatibus trahunt.

Iacobus apostolus epistola vnica capitulo 4. Unde bella et lites inter vos nonne hinc ex concupiscentiis vestris que militant in membris vestris.

Paulus apostolus epistola i. ad thimoteum capitulo 6. et finali. Radix omnium malorum est cupiditas. Idem epistola ad hebreos capitulo 13. et finali. Sint mores sine auaritia contenti presentibus.

Commented [CN21]: fol.64va

Seneca in epistolis ad lucillum libro 7. epistola i. Nemo se auarum esse intelligit neque cupidum. Libro 6. epistola 2. Auarus quomodo pecunia vtendum sit non exaudit. Auarus animus nullo saciatur lucro. Libro 19. epistola 2. Desunt inopie multa: auaritie omnia. In nullum auarus bonus est: in se pessimus. 9. epistola. Nulla auaritia sine pena est. Libro 20. et finali epistola 2. Qui multum habet plus cupit. Neminem pecunia diuitem fecit. Imo etiam nulli non maiorem sui cupiditatem incussit. 6. epistola. Quanta dementia est heredis sui res procurare: et sibi denegare omnia. Idem de breuitate vite: Solius temporis honesta auaritia est. Idem de consolatione ad helbiam matrem. Auaritia est vehementissima humani generis pestis. Cupiditati nihil satis est: nature satis est etiam parum. Quicquid desiderio quod non ex inopia sed vitio nascitur congesseris: non finis erit cupiditatis: sed gradus. Idem de naturalibus questionis libro i. Auaritia quicquid omnibus abstulit sibiipsi negat. Idem in prouerbiis: Negandi causa auaro nunquam deficit.

Lucanus libro 3. Ferram mortemque timere / Auri nescit amor.

Frontinus libro 4. et finali titulo 5. Casilini obsidente hannibale tantam inopiam perpassi sunt vt centum denariis murem venisse proditum memorie sit: eiusque venditorem fame periisse: emptorem autem vixisse.

Iuuenalis libro 4. satyra 3. et finali. Non propter vitam faciunt patrimonia quidam / Sed vicio ceci propter patrimonia viuunt. Libro 5. et finali satyra 2. Crescit amor numi quantum ipsa pecunia crescit / Nec plura venena. / Miscuit aut ferro crassatum sepius vllum / humane mentis vicium: quam seua cupido / Indomiti census.

Commented [CN22]: fol.94vb

Lex digestorum titulo de vulgari et pupillari substitutione l. 2. §. interdum. Improbum esse iulianus existimat eum qui sollicitus est de viuientis hereditate.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Non sibi non aliis prodest dum viuuit auarus. / Et prodest aliis et sibi dum moritur.

Maximianus: Auri cecus amor natium vincit amorem.

Hieronymus in prologo principii bible. Non habet auaro tam deest quod habet quam quod non habet.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non que apud te habes tanquam aliena seruabis: sed pro te tanquam tua et dispones et vtaris.

Ambrosius de officiis libro 2. capitulo 6. Auaritia perfidie vicina est.

Cecilius de beata vita libro 4. Tres sunt affectus qui homines in omnia facinora precipites agunt: ira: cupiditas: libido.

Prudentius de psicomachia capitulo 8. Parcit ne propriis amor inficiatus habendi. / Pignoribus spoliatque suos fames ipsa natos.

Fulgentius libro 2. fabula 13. Auarus in tantum stultus est: vt sibi prodesse non norit. Libro 3. fabula 16. Cupiditas nouit habere: non nouit frui.

Cato capitulo 5. et finali. Utere quesitis opibus: fuge nomen auari. / Quid tibi diuitie si pauper semper abundas.

Boetius de consolatione libro 2. capitulo 9. Auaritia semper odiosos: claros largitas facit. Capitulo 10. Seuior ignibus ethne. / Feruens amor ardet habendi. Libro 3. capitulo 5. Auaritie nihil satis est. Capitulo 6. Quamuis fluente diues auri gurgite: / Non expleturas cogat auarus opes. / Oneretque baccis colla rubri littoris / Ruraque centeno scindat optima boue. / Nec cura mordax deserit superstitem. / Defunctumque leues non comitantur opes. Idem de disciplina scholarium libro 3. Fame nouerca est adunca tenacitas.

Cassiodorus epistolarum libro 3. epistola 11. Auara fuge. Libro 12. et finali epistola i. Reginam illam procatium vitiorum auaritiam fuge: cui cuncta crimina detestabili denotatione famulantur. Auaritia arma suscipit ex talentis: et per dulcedinem superat quos amata deceptione captiuat. Idem de charitate seu dilectione dei capitulo 5. Hydropici more qui plus bibendo plus sitit: pecunie cupiditas ex multiplicatione grandescit.

Auctor libelli qui dicitur pamphylus in fine in epologo. Dum bibit hydropicus magis et sitit et cupit vndam. Sic magis exardet semper auaritia.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 10. et finali. Cui sua non prosunt alii conseruat habenda.

Bernardus libro de improbatione vitiorum capitulo 6. Pestis auaritie fragili viget in muliere.

Andreas ad gualterium de amore libro 2. Omnis probitas de auaritie admixtione supprimitur.

Gualterius de castellione libro i. Non murus non arma ducem vitantur auarum. Libro 8. et antepenultimo. Quid tibi diuitiis opus est: que semper auaro / Esuriem pariunt: quanto tibi plura parasti: / Tanto plura cupis et habendis acrius ardes. / Sicque famen faciens defectum copia mittit

Mattheus vindocinensis de hystoria tobie capitulo 25. Desit auaritie fex cui sua deesse stupescit. / Copia nuda sitis ebria plena fames. Capitulo 30. Te non exruciet census sitis ebria: cuius /

Commented [CN23]: fol.95ra

Pullulat ex gustu multiplicata fames. Idem in poetria particula i. capitulo 19. Aurum roma sitit: dantes amat absque datiuo. / Accusatiuo roma fauere negat.

Heinricus samariensis libro i. particula 2. Ipsa cupit mundi venalis curia pape. / Prostat et infirmat cetera membra caput. / Sacrum cerne nephas nostro prudentius euo / Uenditur in turpi conditione foro / Crisma sacrum: sacer ordo altaria sacra sacrata / Dona. quid hoc vltra venditur ipse deus. / Si foret vt quondam lucretia casta crumena: / Cum sibi porrigitur cedit auara tibi. / Uenditur o dolor omnificis sententia nummis / Iudicium pium copia frangit opum.

Commented [CN24]: fol.95rb

Gaufridus in poetria capitulo 101. Liber is est vitiis qui non inseruit abundans. / Cui satis est quod habet: pauper qui plus cupit.

Iacobus beneuentanus capitulo 11. Hydropico similis nunquam saciatur auarus. / Infelix requie nocte dieque caret. / Custos non dominus estat auarus opum.

Auctor libelli qui incipit astrolabi. Hydropico similis nemo nisi diues auarus. / Ex lucro lucri multiplicando sitim.

Auctor libelli de moribus medicorum capitulo 21. Hydropico similis omnis auarus adest. / Non gaudet partis: quia tangere parta veretur. / Ne sibi deficiant: pauper auarus eget. / Est similis talpe metuenti mandere terram. / Ne sibi deficiat: sic perit ipsa fame.

Montenarius in luna cleri capitulo 46. Furari famulos dominus compellit auarus.

Prouerbia metrica extraordinem librorum vagantia. Presulis albini: vel martyris ossa ruffini: / Rome si quis habet vertere cuncta potest.

#### De fruitione pecunie: Rubrica 15

Salomon in ecclesiastice capitulo 5. Omnis homini cui dedit deus diuitias atque substantiam: potestatemque ei tribuit vt comedat ex eis et fruatur parte sua et letetur de labore suo: hoc est donum dei.

Aristoteles rethoricorum libro i. capitulo 7. Diuitem esse est in vti. magisquam in possidere.

Seneca de beata vita. Diuitie apud sapientem virum in seruitute sunt: apud stultum in imperio.

Auctor libelli de formula honeste vite capitulo 2. Non que apud te habes tanquam aliena seruabis: sed pro te tanquam tua et dispones et vtaris.

Cato capitulo 3. Fac sumptum propere cum res desiderat ipsa. Capitulo 5. et finali. Utere quesitis opibus: fuge nomen auari. Quid tibi diuitie si pauper semper abundas.

Uersicator fabularum esopi fabula 12. Tristior immensas pauperat vsus opes. Fabula 27. Pauperius nihil est quam miser vsus opum.

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Sit bene vestitus cui non sit par. / Et culte viuat potibus atque cibis.

Commented [CN25]: fol.95va

De parsimonia seu paritate: largitate et prodigalitate id est de modo expensarum: Rubrica 16

Aristoteles ethicorum libro 2. capitulo 6. Circa dationem pecuniarum et acceptionem medietas quidem liberalitas est: super abundantia autem et defectus: prodigalitas: et illiberalitas. Prodigus quidem in tributione superabundat: in acceptione autem deficit. Illiberalis in acceptione quidem superabundat in tributione vero deficit. Libro 4. capitulo i. Ditari non facile est liberalem: neque acceptarum existentem neque custoditium. Non possibile est pecunias habere non curantem vt habeat. Liberalis est qui secundum substantiam expendit et in que oportet: qui autem superabundat prodigus. Liberalis et dabit et expendet in que oportet: et que oportet. Capitulo 2. Prodigus in dando superabundat: in accipiendo autem deficit. Illiberalis in dando deficit: in accipiendo autem superabundat. Uelociter derelinquit substantia dantes idiotas: qui et videntur prodigi esse. Prodigus multum videtur esse illiberali melior: quoniam hic quidem prodest multis: hic autem nulli: sed hec in seipsum. Idem magnorum moralium libro i. capitulo 42. Prodigus est qui consumit in que non oportet et plusquam oportet et quando non oportet. Idem rethoricorum libro i. capitulo 13. Magnificentia est virtus in expensis magnitudinis factiua. Pusilanimitas autem et paruificentia contraria. Idem politicorum libro 5. capitulo 6. Substantias consumunt parue expense sepe facte. Libro 6. capitulo 5. Nutriture equorum magnas substantias possidentium sunt. Idem iconomicorum libro 2. circa principio. Oportet considerare sumptus non maiores introitibus fieri.

Jesus filius sirach in ecclesiastico capitulo 18. Memento paupertatis in tempore abundantie et necessitatem paupertatis in die diuitiarum. 19. capitulo. Qui negligit modica paulatim decedit.

Commented [CN26]: fol.95vb

Terentius in adelphis capitulo 5. Pecuniam in loco negligere: maximum interdum est lucrum.

Oratius in epistolis libro i. epistola 7. Prodigus et stultus donat que spernit et odit. / Hec seges ingratos tulit et feret omnibus annis. / Uir bonus et sapiens dignis ait esse parandum. / Nec tamen ignorat quid distent era lupinis.

Ouidius de medicamine aurium. Si fueris diues que sunt preciosa require. / Si numis careas elige quod valeas.

Seneca epistolarum ad lucillum libro i. capitulo i. Sera parsimonia in fundo est. Idem de beneficiis libro 2. Parsimonia est scientia vitandi sumptus et cultus superuacuos. Idem de tranquillitate animi. Sine parsimonia nulle opes sufficiunt.

Lex digestorum titulo de tutoribus et curatoribus datis ab his etc. l. is qui. Non est nouum quosdam et si mentis sue videbuntur ex sermonibus compotes esse: tamen sic tractare bona ad se pertinentia vt nisi subueniatur his deducantur in egestatem.

Uegetius de re militari libro 2. titulo 19. Plerique homines et precipue pauperes tantum erogant quantum habere potuerint. Libro 3. titulo 3. Sera est parsimonia tum seruare cum deficit. Libro 4. titulo 7. Parum proficit plurimum colligisse: nisi ab exordio dimensione salubri per idoneos erogatio temperetur. Nunquid periclitati sunt fame qui frugalitatem inter copias seruare ceperunt.

Cato capitulo 2. Ne tibi quid desit quesitis vtere parce. Capitulo 3. Utere quesitis: sed ne videaris abuti / Labitur exiguo quod partum est tempore longo. Capitulo 4. Utere quesitis modice cum sumptus abundat. Qui sua consumunt cum deest aliena sequuntur.

Marcialis cocus libro vndique suscepto capitulo 3. Prodigus est auri cum nec se nouit cohibere / Currenti nunquam frena retentat equo. / Culpa quidem grauis est: gemini quoque causa reatus / Cum male cuncta vorans est capiatque rapere.

Cassiodorus epistolarum libro 6. epistola 20. Fedissime contrarietatis vicium est studere furtis et habere vocabulum largitatis. Libro 7. epistola 14. Illum potius expedit tenere mensuram qui defectam noscitur gubernare substantiam. Libro 10. epistola 2. Tollitur necessitas principibus excedendi quotiens assueuerint propria moderari. Libro 11. epistola i. Cito expenduntur horrea que assidua non fuerint adiectione fulcita. Thesaurus ipse quam facile profunditur si nullis iterum pecuniis compleatur.

Commented [CN27]: fol.96ra

Auctor libelli qui dicitur facetus capitulo 2. Expediat large sine murmure quando decebit / Iuxta suum posse: ne sua damna fleat.

Mattheus vindocinensis in poetria particula 2. et finali capitulo 4. Pauperat elatas prodiga mensa domos.

Heinricus samariensis libro 2. Nec viscosa manus oleo nec vncta sit vino. / Inter vtrumque teneris respuat omne nimis.

Bertrandus yconomica capitulo 3. Labenti nondum lapso facultatibus minus verecundum est abstinere quam cadere. Capitulo 4. Sumptus pro iuuando amicos rationabilis est. Sumptus pro iuuando prodigos perditus est. 5. capitulo. Familiam grosso cibo non delicato nutrias. Gulosus effectus est vix aliter: quoniam morte mores mutabit. Fac gulam litigare contra bursam: et caue cuius aduocatus existas. Si inter bursam et gulam iudex existas: sepius sed non semper pro bursa feras sententiam. Tunc male iudicas contra gulam: quando auaritia ligat bursam. 10. capitulo. Femina meretrix et senex omnes diuitias annullabit. 14. capitulo. Homo ioculatoribus intendens cito vxorem habebit: cuius nomen pauperitas. Ridens et gaudens de verbis ioculatoriis iam pignus sibi dedit. 16. capitulo. Nimia et inordinata edificandi cupiditas parit et expectat edificiorum venditionem. Turris completa et archa vacuata faciunt valde: sed tarde hominem sapientem. 22. capitulo. Caniculos valde paruos dimitte reginis et clericis. Canes castodes vtilis sunt. Canes ad venandum plus constant quam conferant. 24. capitulo. Uigila et leuitatem expendendi cum grauit te lucrandi compensa.

Prouerbia vulgaria. Cosi cum tute senti cosi mena identi / Dal summo de latina se compensa la farina. / Massara dura fa familia fura. / No esser largo aisoldi escarso ale mane.

Commented [CN28]: fol.96rb